Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2743
Quelle:
Copyright:

contemtu ſeculi tranſire ad amorem dei. De terrore morientis anime. De Beatitudine ſempiterna celeſtis iberuſalem. De Patientia. De Murmuratione. Quod vagatio multis occaſio pereundi. De Predicatione. De Neceſſitate patiendi. Laus fidelium. De Militia chriſtiana &c. Varia item rurſus Collecta e PP. Conciliis, et Pontificum Epiſtolis nullo inter ſe nexu.

XI. *fol.* 197. calamo rudiore Excerpta de *Libro* V. VI. et VII. *Originum Iſidori Hiſpalenſ.* et *Liber* V. quidem paene totus, ſubſequi *duo* carptim exſcripti. Initium: *Moyſes gentis hebreę primus omnium diuinas leges explicuit* &c. Non inutile futurum Exemplar ad exactiorem *Iſidori* promulgationem e collatione cum *Dubreuiliana Pariſ.* 1601. f. inſtituta deprehendi. Ita mox ſub initium correctiora videntur *Lacedaemoniis* pro *Lacedaemonis. obſoluerunt* pro *exoleuerunt. hae* (Leges) *diſcrepant* pro *hæc. Liberorum ſuſceptio* pro *ſucceſſio* &c.

DCCLVII.

247 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 172. f. ſat nitide per duas columnas exaratus eſt Collectio *Sermonum* diverſi argumenti, quorum cum aliqui aperte nomen *Clementis VI.* Pont. qui prius *Petrus Rogerius* dictus et Monachus *Caſae Dei* (Chaiſe — Dieu) O. S. B. ſedem ab an. 1342. ad an. 1352. tenuit, praeferant; alii vero et tractandi methodo et ſtili ratione plurimum conveniant, non aberraturum a vero putem, qui paene univerſos eidem *Clementi* adſcripſerit. Atque id eo minus, quod reipſa extent Codices, qui *Sermones Clementis* complectuntur, ut videre eſt apud *Baluzium in Vit. Papar. Avenionenſ.* T. I. p. 909. *Oudinum* T. III. *col.* 930. aliosque. Sermones porro *ſacri* in *Cod.* noſtro contenti ſunt numero XXXV. iique partim in Dominicas, partim in Feſta Domini, B. V. atque Sanctorum. Primus inſcribitur: *Sermo in aduentu domini dominica prima.* Initium: *Ecce rex tuus veniet tibi manſuetus. Math. XXI°. et in ewangelio hodierno. Hugo li°. de clauſtro anime dicit ſic. Clemens et manſuetus dicitur animus* &c. Sermonis II. titulus eſt: *Alter ſermo de aduentu domini dominica prima clementis pape*, et Sermonis XIV. *Sermo diei penthecoſtes factus per Clementem papam ſextum pontificatus ſui anno ſecundo.* Ad calcem Serm. XVII. *de corpore chriſti* legitur: *Expliciunt ſermones de tempore. Modo incipiunt de ſanctis. Incipit primo ſermo de ſancto Andrea apoſtolo.* Thema: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem* &c. Inter hos Sermones duo ſunt de *S. Thoma Aquinate*, quorum poſterior *fol.* 84. p. 2. non eſt *Clementis* VI. cum in eo dicatur mox ſub initium: *Vnde clemens ſextus de eo* (Thoma) *in quodam ſermone ſic ait. Sicut ſol excedit ſtellam quia maioris eſt ſplendoris in claritate* &c.

Fol. 141. Sermones hos ſacros excipiunt alii, qui temporum Hiſto-